

Apponit: En domum Poëta emit sibi.
Sic nempe de Poëtis vulgò sentiunt.
Hac salsa, quæ vulgus spargit, dicteria,
Affinis exoptate, nil te commovent.
Aulas patere principum, Musis parum est:
Ad usq; summa cœli scandunt sydera:
Et assecclas suos retrò secum trahunt.
Quod hoc in albo censearis, indicat
Corona (de qua grator) isthac Laurea.

Theophilus Dachtler, Affinis.

Aliud.

O Lepidum Crusi caput, atq; ò tempora lauro
Digna: voco testes ampla theatra scholæ.
Quanta erat in toto cœtu admiratio, quando
Carmine ludebat: QVAM NIHIL OMNIS HOMO!
Cingite crescentem Laureq; Hederâq; Poëtam:
Cumq; Hederâ & Lauro vota date, ut vigeat.
Sic ipsi veræ poterunt encomia laudis
Iure dari, nullo quæ moritura die.
Mantua Virgilij, Nasonis Roma Poëtae,
Argyrope Crust nomine clara cluet.

Fecit

Paulus Friderici. J. U. D. Affinis.

Aliud.

CVM pleetra, CRVSI, Pieriæ chelys
nuper moveres, Phœbigena Deæ
Victæ melodijs sonori
pectinis, emeriti brabeion
honoris aptârunt tibi, Delphicam
Laurum. Corymbis ista virentibus
eat polo, famamq; Lethes
vindictet umbriferis abundis.

Joannes Leuber, J. U. D. & P. C.